

congemit traxitque iugis avolsa ruinam.  
 descendo, ac ducente deo flammam inter et hostis  
 expedior; dant tela locum flammaeque recedunt.

Atque ubi iam patriae perventum ad limina sedis  
 antiquasque domos, genitor, quem tollere in altos 635  
 optabam primum montis primumque petebam,  
 abnegat excisa vitam producere Troia  
 exsiliumque pati. 'vos o, quibus integer aevi  
 sanguis' ait 'solidaeque suo stant robore vires,  
 vos agitate fugam. 640

me si caelicolae voluissent ducere vitam,  
 has mihi servassent sedes. satis una superque  
 vidimus excidia et captae superavimus urbi.  
 sic o sic positum adfati discoedite corpus.  
 ipse manu mortem inveniam, miserebitur hostis 645  
 exuviasque petet. facilis iactura sepulcri.  
 iam pridem invisus divis et inutilis annos  
 demoror, ex quo me divom pater atque hominum rex  
 fulminis adflavit ventis et contigit igni.'

Talia perstabat memorans fixusque manebat. 650  
 nos contra effusi lacrimis coniunxque Creusa  
 Ascaniusque omnisque domus, ne vertere secum  
 cuncta pater fatoque urgenti incumbere vellet.  
 abnegat, inceptoque et sedibus haeret in isdem.  
 rursus in arma feror, mortemque miserrimus opto. 655  
 nam quod consilium aut quae iam fortuna dabatur?  
 'mene efferre pedem genitor te posse relicto  
 sperasti, tantumque nefas patrio excidit ore?  
 si nihil ex tanta superis placet urbe relinqui  
 et sedet hoc animo perituraeque addere Troiae 660  
 teque tuosque iuvat, patet isti ianua leto:  
 iamque aderit multo Priami de sanguine Pyrrhus,  
 gnatum ante ora patris, patrem qui obtruncat ad aras  
 hoc erat alma parens, quod me per tela, per ignis  
 eripis, ut mediis hostem in penetralibus utque 665  
 Ascanium patremque meum iuxtaque Creusam  
 alterum in alterius mactatos sanguine cernam.